



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 7. Pontiani martyrio ostenditur, ignem Deo parere, & dei amicis parcere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

§. VII.

Pontiani martyrio ostenditur, ignem Deo parere, & Dei amicis parcere.

Ferrarius
19. Ian.

Nobili loco natus adolescens, Spoletanus, cui Pontiano nomen fuit, Antonino Imperatore, Fabiano præfide, varijs modis, ad Christum abnegandum, tentatus & cruciatus, antè, quàm idolis thura offerret, se ipsum ignibus obtulit. Ardentissimis igitur prunis inambulare adactus, ita fertur Fabianum allocutus: *Ecce, in nomine Christi, Dei mei, illæsus prunas tuas, ac veluti rosas calco. Tu, si Scauola es, vel in aquam feruentem manum tuam impone, & experire, nū te Deus tuus Iuppiter sit à dolore ac læsione liberaturus.* Vssit hoc dictū tyranni superbiam, quæ furiosè inflammata, vim omnē in Martyrem effudit, iussitque eum, equuleo distentum, vngulis ferreis, toto corpore, dilacerari. Sed, vt videas, Deo, Deique seruis, omnes creaturas famulari, carnifices prius, quàm Martyris constantia, sunt fatigati. Quin innocens eius caro, vt à peccato, ita & à ferro integra permansit. Et, quod mireris, dum castissimum eius corpus, velut æneum lacerari non potuit, ipsa è ferro fabricata instrumenta, fracta fuerunt, ac dilacerata. Potuisset

tuisset utique etiam ipsum ferreū iniqui Iudicis pectus frangi, nisi crudelitas adamantina esset, atque omnem duritiem ferri superaret, & giganteo fastu, cum ipsa Numinis omnipotentia certaret. Projectus est ergo Pontianus in obscurissimi carceris tenebras; sed adfuere Angeli, qui, diuina luce caliginem dispulerunt. Producitur iterum, & leonibus obijcitur epulandus. Sed & hæ belluæ, quantumuis fame rabidæ, Martyri pepercerunt, imò circumuolutatæ, non dubiè blandientes feritatem posuerunt. Retrahitur in vincula Pontianus, & viginti duos dies noctesque, absque cibo potuque, relictus, ostendit, hominem, *non in solo pane*, Matth. 4. 4. viuere. Cantans igitur ac Deum laudans re-
pertus, in lecticam ferream astrictus, subiectoque vehementi igne, & liquido plumbo vberimè omnibus eius membris superfuso, nihil est mali passus, ut planè immortalis videretur. Certè, in mortali corpore, immortalem DEI omnipotentiam dominiūque luculentè demonstrauit: ut meritò dicere potuerit. *Benedicite ignis & æstus Domino. Laudate Dominum de terra, ignis, grandis, nix, glacies, spiritus procellarum, que faciunt verbum eius.* Dan. 3. 66.